Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gravamina sacri Romani Imperii principum ac procerum

[S.l., Mainz], 1523

De archipresbyterovrvm officialibus, & alijs iudicibus ecclesiasticis

urn:nbn:de:bsz:31-114121

Visual Library

Romano petiit Pontifice, ac multi alij oppido aggrauentur, ac longe plus, q̃ elapſis annis, pecunias ſuas dilapidare compellantur. Hinc facile conijcere licet, quot Romæ, quãtiq; laquei pro emũgẽdis nũmis tendantur. Quapropter talia officia merito deleri debent.

DE ARCHIPRESBYTERORVM OFFICIAlibus, & alijs iudicibus eccleſiaſticis.

ARchipresbyterorũ quoq; officiales, ut plurimũ, ſũt indocti, inhabiles, inſup & ſcurrilibus moribus, nihil pẽſi habentes, nihil auẽtes, quã pecuniã. Et q̃ notorie in publicis degant peccatis ac facinoribus, quotidiano diſcitur uſu, per quod laici, quos ob admiſſa, debito modo corripere, ac in pietate Chriſtiana eruditiores & meliores reddere debebant, nedum ad meliorẽ frugem non perducũtur, ſed offendiculis onerãtur potius. Ad hæc per leues ac uiles has officialium perſonas, in quorũ cõſcientijs, nulla Chriſtianæ pietatis uiget ratio, ſed tantũ ſceleratus habendi amor, laici miſere ad uiuum uſq; in bonis ſuis ſpoliantur, ac deprædãtur. Id quod Archiepi & epiſcopi, ſi quidẽ re uera quod dicuntur, eſſent, hoc eſt Chriſti paſtores, dubio procul, diutius non tolerarent, oueſq; Chriſti talibus offendiculoſis paſtoribus curandas, minime cõmendarent, paſcendaſue cõmitterent.

Q̃ INIQVE LAICI AD VETITVM TRAhantur eccleſiaſticorum tribunal.

FEre & hoc quoq; accidit, ut laici ad eccleſiaſticorũ, licet periniquè, trahãtur iudiciũ. Nam etiamſi actor ſit eccleſiaſticus, qui laicũ reum iudicio cõuenire intendit, attamẽ nihilo magis ordinariæ iuriſditioni reorum deferũt, quin paſſim eccleſiaſtici tales reos laicos ſ. quaſcũq; etiã ob cauſas ciuiles ac plane prophanas, ad eccleſiaſticũ tribunal, refragantibus omibus etiã iuribus, pertrahere ad nitũtur. quũ tamen maxime conueniat, ac iure non ignoto ſit. q̃ expreſſim cautum actorem rei, forum ſequi debere.